



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola XIII. Gregorii Papae IX. Ad Nobiles Angliae. Angliae magnates iure patronatus ecclesiae priuantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

Moyse, & Machometo, totum mundum fuisse deceptum: & duobus eorum in gloria mortuis, ipsum Iesum in ligno suspensum manifeste proponens. Insuper dilucida voce affirmare, vel potius mentiri præsumpsit, quod omnes fatui sunt, qui credunt nasci de virgine Deum, qui creauit naturam, & omnia potuisse. Hanc hæresim illo errore confirmans, quod nullus nasci potuit, cuius conceptum viri & mulieris coniunctio non præcessit: & homo debet nihil aliud credere, nisi quod potest vi & ratione naturæ probare. Hæc, & alia multa, quibus verbis & factis catholicam fidem impugnabit, & impugnat, suo loco & tempore, sicut decet & expedit, manifeste poterunt comprobari. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, in virtute obedientiæ per apostolica scripta districtè præcipiendo, quatenus, ne dictus Fridericus corda fidelium fallacibus verbis subuertere, vel contagione sua possit quomodolibet gregem dominicum maculare, clero & populo vobis subditis supradicta plene ac fideliter exponatis.

\* nono  
Iulii,  
Datum Laterani \* duodecimo Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno decimotertio.

EPISTOLA XIII.  
GREGORII PAPÆ IX.

AD NOBILES ANGLIÆ.

Angliæ magnates iure patronatus ecclesiæ priuantur.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis nobilibus viris, Richardo comiti Pictaviæ & Cornubiæ, & baronibus Angliæ præsentibus literas inspecturis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**C**VM ex operibus nostris, quæ plenum perhibent testimonium veritati, sit liquidum vniuersis, quod nos personam carissimi in Christo filii nostri illustrem regem & reginam, inter alios reges & principes orthodoxos & regna, in quibus nomen colitur Christianum, in caritatis visceribus specialiter gerimus, & pacem ac tranquillitatem eorum propensius affectemus, rite præsumi non po-

*Concil. Tom. 28.*

V u

rest, & omnino credi non debet, quod nos, quantum cum Deo possumus, agere seu tolerare velimus; quod iuste possit honorem regię serenitatis offendere, aut in eodem regno scandalum generare. Vnde cum intentionis nostrę non fuerit, nec existat, vt beneficia in regno Anglię constituta, quę ad pręsentationem pertinent sęcularium patronorum, auctoritate nostra cuiquam conferantur: sicut ex quibusdam literis nostris, quondam in Angliam destinatis, quarum tenorem de verbo ad verbum celsitudini regię sub bulla nostra duximus destinandum, colligitur euidenter. Nos comperto nuper ex eiusdem regis & vestrarum continentia literarum, quod quidam prędicti regni miles in ecclesia de Luthunum, Eboracensis dięcesis, quam olim cuidam de partibus nostris clerico, ignorantes quod pręsentatio ad laicum pertineret, contulisse dicimur, ius obtinet patronatus, pręlibati regis & vestris precibus inclinati, concessionem eandem auctoritate apostolica reuocamus: venerabili fratri nostro archiepiscopo Eboracensi nostris dantes literis in mandatis, vt eum, quem dictus miles ad pręfatam ecclesiam duxerit pręsentandum, admittat & instituat in eadem, prout pertinet ad eundem, diuturnitate temporis, cum per ipsum minime steterit, non obstante, dummodo aliud sibi rationabile non obstat. Tenore pręsentium districtius inhibendo, ne alicui de cetero liceat ecclesias prędicti regni, in quibus sunt laici patroni, pręter eorum assensum, apostolicę sedis auctoritate conferre.

Datum, &c.

EPISTOLA XIV.

GREGORII PAPÆ IX.

AD OTTONEM CARDINALEM LEGATVM  
IN ANGLIA.

De eodem.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei legato salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**A**d tuam volumus notitiam peruenire, quod cum intentionis nostrę non fuerit nec existat, vt beneficia